

Ōlim, ubi Rōma erat nova, Rōmulus asyllum aperuit in monte Capitōlinō, et ad hunc locum multī hominēs ex vicinīs urbibus fūgērunt. Mox Rōma habuit multōs virōs, sed paucās fēminās. Rōmulus metuit nē, sine fēminīs, Rōma māgna urbs nōn fieret. Itaque Rōmulus ad vicinās urbēs iter fēcit ad quaerendās fēminās, sed hae urbēs metuērunt nē Rōma māgna et fortis fieret. Itaque nōn licēbat fēminīs cum Rōmulō ire. Rōmulus cōnsilium cēpit.

Rōma māgnum festum habuit et invītāvit hominēs vicinōs, Sabīnōs. Sabīnī advēnērunt cum familiīs ad spectandōs lūdōs et ad videndam urbem novam. Postquam Sabīnī multum bibērunt, Rōmānī filiās Sabīnās rapuērunt et coēgērunt aliōs Sabīnōs, metuentēs Rōmānōs, fūgere. Postquam Sabīnī domum rediērunt, irātī erant. Mox, Titus Tātius, rēx Sabīnus, māgnum exercitum faciēbat et dūcēbat eum Rōmam.

In urbe, Rōmulus ad fēminās it et inquit, “Nōs rapuimus vōs, sed nōlō cogere vōs manēre. Sī vōs manēre vultis, eritis Rōmānae. Filiī tuī erunt Rōmānī. Populus Rōmānus erit fortissimus in mundō!” Omnēs fēminae voluērunt manēre. Post multōs mensēs, omnēs fēminae Rōmae habitābant et multae factae sunt coniugēs. Sed iam Titus Tātius cum exercitū Sabīnō advēnit. Bellum aderat!

Titus Tātius, rex Sabinus, advēnit ad urbem Rōmam cum māgnō exercitū. Sed Rōma māgnōs mūrōs habuit et Sabīnī nōn potuērunt intrāre. Itaque Sabīnī castra fēcērunt prope urbem.

Quādam nocte, fēmina Rōmāna, nōmine Tarpēia, in mūrīs Rōmae ambulābat. Ā mūrō, Tarpēia mīlitēs Sabīnōs spectābat. Subitō Tarpēia vīdit rēs nitentēs. Omnēs mīlitēs Sabīnī gerēbant in bracchiīs armillās aureās. Tarpēia tacitē ex urbe ambulāvit ad Sabīnōs. Titus Tātius occurrit fēminae et inquit, “Quid vīs?”

“Sī omnēs mīlitēs tuī dabunt mihi rēs, quās gerunt in bracchiīs,” Tarpēia inquit, “ego aperiam iānuam Rōmae.” Titus celeriter adnuit.

Itaque Tarpēia iānuam aperuit et Sabīnī urbem intrāvērunt. Postquam intrāvērunt, Tarpēia voluit armillās. Sabīnī tamen ā bracchiīs armillās nōn exuērunt, sed scūta. Omnēs Sabīnī iēcērunt scūta in Tarpēiam et illa est oppressa. Iam dē saxō corpus mortuum iēcērunt.

Sabīnī ascendunt ad arcem in monte Capitōlinō. Sabīnī Rōmānōs in arce interfēcērunt. Postridiē, exercitus Rōmānus voluit cogere Sabīnōs ex arce, sed arx erat fortis. Māgnum bellum coepit. Multī Sabīnī et Rōmānī moriēbantur. Post paucōs diēs, filiae Sabīnae, tenentēs infāntēs, subitō cucurrērunt in bellum inter Rōmānōs et Sabīnōs. Hersilia, fēmina Sabīna, clāmat, “Vōs vultis iuvāre nōs, sed bellum facit nōs miserae. Nōlumus patrēs aut coniugēs morī! Volumus pācem!”

Rōmulus et Titus Tatius bellum finiērunt. Nōn tantum pax erat, sed Rōmānī et Sabīnī factī sunt ūnus populus. Rōmulus et Titus Tatius ambō erant rēgēs. Hersilia facta est coniūnx Rōmulī. Rōmulus rēgnāvit septem et trīgintā annōs et factus est deus.